N. 965.

CURRENDA IV.

A. D. 1859.

N. 113.

Indulgentiae pio Sodalitio Immaculatae Conceptionis B. M. V. pro Oriente concessae ejusq confirmatio pontificia.

Missiones in America, Africa et ad Sepulchrum Christi, S. Bonifacii jam a longiori tempore trahunt auxilium e Diœcesi nostra; et ab anno elapso Sodalitium quoque conceptæ sine labe B. M. V. pro Missionibus in Oriente, cujus statuta germanica exarata Provocatione hujate de 28. Jan. 1858 N. 370 Ven. Clero communicaveramus, plures jam quotas in vastissimo Austriæ Imperio collegerat, et abhinc in angustiis quamvis nostris receperat.

Hocce pium Sodalitium oculum fixit ad Orientem nobis proximum, non ad Sepulchrum Xti solum, et ad Indiam, verum ad Bosniam quoq. cum 120000 Catholicis ope indigentibus, ad Hercogovinam cum 50000, Albaniam et Macedoniam cum 8000 inter 140000 Muhamedanos et totidem Schismaticos, ad Bulgariam cum 14000, ad Serbiam, ad Constantinopolim et ad Smyrnam &c. atq. omnibus ibidem Catholicis fanatismo jam Moslemitarum jam Schismaticorum &c. pressis succurrere intendit jam obulis jam suffragiis. Miseriam memorati Orientis deplorabilem Ven. Clero jam germanica allocutio seu descriptio sub titulo: **Gründung eines Vereins der unbefl. Empfängniss Mariens** de 8. Sept. 1857 citata supra Provocatione submissa præ oculis posuit... denuo relegenda; statuta vero eidem adjecta jam §. 4. quotam subsidiariam et §. 10. suffragia quotidiana videlicet **1. Pater noster, et 1. Ave,** cum additamento: **Maria sine labe concepta! ora pro Xtifidelibus in Oriente...** assignarunt membris Sodalitii.

Ad Sodalitinm pro Oriente in Cur. III. a. c. aliud et quidem sanctæ Infantiæ Jesu aggregavimus atq. curæ solerti commendavimus.

Compertum est, Societates nunc exhibitas pro latis subsidiis rependere Missæ sacrificia, precesq. item Societatem S. Leopoldi, Infantiæ Jesu ditare sodales etiam indulgentiarum thesauro. Talem concedere dignatus est Pius IX. Pont. Max. Sodalitio quoq. Immaculatæ Concept. vigore Brevis Apostolici de 25. Jun. 1858 infra impressi, quod ad Nos Litteris Ven. Centralis Collegii Vienn. de 12. Nov. 1858 pertigit, cujus tenorem Vener. Clero heic imprimendum curamus, cum requisitione piissima, quatenus Ven. in Xto Fratres penes Collectionem pro Missionibus statum horum vicinorum Catholicorum miserrimum juxta germanicam Descriptionem supra attactam depingatis, sodales colligatis, indulgentias deprædicetis. Sequuntur ambo Documenta supra specificata:

„*Reverendissime Ordinariatus!* Pium Sodalitium sub Patrocinio Beatae Mariae Virginis sine labe originali Conceptae, cujus scopus est per pias precationes et opera charitatis religiosis indigentiis Catholicorum in Oriente et praecipue in Ditionibus Ottomanicis efficacius subvenire, per benignam largitionem apostolicarum Indulgentiarum clementem sui Confirmationem a Sede Apostolica nuper non minus, quam anno superiore Caesaream a Summo Terrae Principe, obtinuit. Sane Pius IX. P. M. Ecclesiam Christi feliciter gubernans, pariter ac Franciscus Josephus I. Augustus Imperator noster dignanter recognovit momentum tam salutaris operis, quod christiana fiducia in Deum sub Protectione Beatissimae Virginis Mariae susceptum est.

Collegii hujus Centralis nunc interest, impetratas Concessiones apostolicas in publicum proferre, quo studia participationis illarum apud pios fideles, ut par est, accendantur. Quamobrem idem Centrale Collegium officio ducit Reverendissimo Ordinariatui tenores Brevis apostolici ddo 25. Junii 1858 in authentica Copia illa cum humili supplicatione substernere: ut illi eum effectum et dicto Sodalito illum *progressum* intra limites divinitus sibi creditae Diœcesis *procurari* facere dignaretur, qui spectatis localibus adjunctis maxime consentaneus et fideli populo salutaris Eidem Reverendissimo Ordinariatui videbitur.

Huic Brevi apostolico adjungitur exemplar Iconis Immaculate Conceptae Deiparae, quae ceu pium munusculum distribuetur illis, qui colligendis charitatis symbolis (obulis) operam dabunt. Ea etenim hic loci et jam in pluribus Diœcesibus peraccommoda praxis inducta est, ut probatae fidelitatis personis Sodalitio addictis tamquam Collectoribus tribuantur folia impressa, qualium perinde unum exemplum adiacet. Tales personae inter suos familiares facile invenient alias *decem*, quae Sodalitio huic nomen dent symbolasque suas sive menstrue sive annue Collectori concredant, illi folio inferendas et periodice animarum Curatori resignandas, ac tandem *sub finem anni Officio diœcesano* transmittendas. Nec deerunt inter has decem personas, quae amore pii scopi sodalitio praestituti curam assumant idem associationis opus inter totidem alios devotos fideles promovendi. Haec methodus, in pluribus aliis similibus institutis usitata, localibus animarum Curatoribus fatigia notabiliter imminuere videtur. *)

Contemporanee Centrale Collegium Reverendissimo Ordinariatui demisse insinuandi honorem habet: quod idem relate ad quantitatem piarum symbolarum paragraphum *quartum***) suorum Statutorum cum positiva approbatione Eminentissimi Domini Protectoris, D. Cardinalis a Rauscher ddo 10. Nov. 1858 N. 1758/P. ita modificaverit: ut *quantitas haec omnino libere voluntati cujusque Christifidelis committatur.* Fiet hoc modo, ut classis quoque hominum minus habentium praeattactas Concessiones apostolicas participare valeat.

Collegium isthoc Centrale quotannis succinctam Relationem de effectibus per succursum hujus Sodalitii in partibus Orientis procuratis cum Rationum conspectu, et quidem in principaliores hujus Imperii linguas traductam, typis evulgabit; unde quodvis Sodalitii membrum exactam perceptorum et erogatorum notitiam capere poterit.

Etsi quidem memoratum Sodalitium ad praesens in primis solum initiis versetur, ut adeo experientia nonnisi unius semestris gloriari queat; haec ipsa nihilominus laete confirmat gratissimam acceptationem erecti hujus pii ac benefici Instituti non secus ac operosissimam succollationem saluberrimi finis ipsi praefixi in cunctis Dioecesibus, ubi fideli populo datum fuit in talis erectionis notitiam pervenire. Subventiones profecto ex pluribus Diœcesibus isthuc transmissae non aequant solum, sed et superant omnem exspectationem, una autem spem faciunt certam, ut post publicatam Pontificam dicti Sodalitii Confirmationem et amplissimarum

*) Hic modus in pagis nostris vix inveniet imitatores.

**) §. 4. *Statutorum Descriptioni Orientis acclusorum ita sonat:* »Dieser Beitrag (eines Mitgliedes) besteht in 5 Kreuzer monatlich, oder 1 Gulden jährlich unvorgreiflich jeder größeren Gabe.«

Indulgentiarum concessionem reliquae perinde Diœceses ad opus tam salutare pro viribus promovendum concurrere velint, cujus utpote uberrimi benedicente Deo fructus in grande S. Religionis ac Ecclesiae catholicae emolumentum redundabunt.“

Viennae die 12. Nov. 1858. **Dr. Friedr. de Hurter,**

S. C. et R. A. Majest, Consil., Imp. Historiographus et Central. Colleg. pro Sodalitio Immac. Conc. Praeses.

Pius PP. IX. Ad perpetuam rei memoriam.

Cum, sicuti renunciatum est Nobis, Vindobonae in Austria pium Sodalitium sub patrocinio Mariae Virginis Deiparae sine originali labe Conceptae ad Catholicum nomen per Orientem praesertim propagandum, illudque cœlesti ope jugibus precibus implorata per eas regiones sospitandum, tuendum, canonice constiterit; Nos ut Sodalitium hujusmodi majora in dies juvante Deo, suscipiat incrementa; de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli App. ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis Christifidelibus, qui *Sodalitio* hujusmodi *nomen dederint* suum, *quo die* primum in illud cooptati fuerint, et die respective *anniversario*, si vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti fuerint, quo die praedictorum id egerint, *Plenariam:* ac tam adscriptis quam pro tempore adscribendis eidem Sodalitio Christifidelibus in cujuslibet eorum *mortis articulo*, si vere quoque pœnitentes et confessi ac S. Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti Nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, etiam *Plenariam:* nec non eisdem nunc et pro tempore existentibus e memorato Sodalitio Christifidelibus vere pariter pœnitentibus et confessis ac S. Commrnione refectis, qui aut *propriam* Sodalitii *Ecclesiam*, aut respectivam *Parochialem* festivitate titulari *Conceptionis Immaculatae Deiparae Virginis Mariae* a primis vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote *visitaverint,* ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, *Plenariam* similiter omnium peccatorum suornm Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domine concedimus. Praeterea dictis Sodalibus, qui pietatis opera, quae modo recensuimus, *quatuor* per annum festis diebus, eorundem Sodalium arbitrio eligendis et per Ordinarium adprobandis, corde saltem contriti cum Domino praestiterint, *septem annos,* totidemque *quadragenas:* quotiescumque vero quodlibet *pium opus* ex instituto *persolverint,* dummodo corde item contriti, ut moris est, oraverint, *sexaginta dies* de injunctis eis seu alias quomodlibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas Indulgentias, peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes etiam Animabus Christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse impertimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXV. Jun. MDCCCLVIII. Pantificatus Nostri Anno Decimotertio.

Pro Dno. Card. Macchi
Jo. B. Brancaleoni Castellani. m. p.

Nr. 196.

Certificata super vaccinatione in veritate sunt exaranda.

Accidit casus, ut quidam ecclesiæ Rector in Certificato super vaccinatione majus temporis spatium exprimeret, quam quod revera in ea consumptum fuerat. Ad parcendum fundo provinciæ, ex quo taxæ pro vaccinatione penduntur, requisitio ab Exc. C. R. Regimine Cracov. dto 10. Jan. a. c. N. 36819 appulit, quatenus Vener. Clerum ad exaranda *vera Certificata*, eaq. primum capta de consumpto tempore convictione edenda, obstringamus. His conformiter obsecramus, ut Quisq Vestrum tum in ejusmodi testimoniis tum in aliis puram colat sequaturq. veritatem, ne ministerium nostrum unquam vituperetur.

E Consistorio Episcopali. Tarnoviæ die 20. Januarii 1859.

Nr. 563.

Monitiones intuitu 2 epistolarum de Coelis

Novissimis temporibus sunt in P... duæ litteræ interceptæ; altera sub titulo *„List z nieba“* altera sub titulo *„List Rzymski.“*

Hæ duæ epistolæ dicuntur conscriptæ ab Ipso Christo Domino et quidem prima ad S. Pontificen *Leonem*, quæ ex anterioribus temporibus inter populum versari noscitur, secunda ad S. Pontificem *Pium IX.;* ex qua circumstantia jam sole clarius apparet, utramque epistolarum crassissimam superstitionem in fronte gerere et eo jam respectu omni cura a populo fideli amovendam esse etsi de cætero citatæ epistolæ directe nocivas doctrinas haud contineant. Forsitan hæ epistolæ præcurrunt alias, ope quarum perversi homines auctoritate earum prius tuta posita populo fideli diversas doctrinas respectu jam religioso jam politico destructivas propinare intendant.

Populus itaque omni data occasione diligentissime ac cum prudentia pastorali monendus est, ut ejusmodi figmentis aurem non præbeat, ac solum doctrinis a suis legitimis pastoribus perceptis firmiter inhæreat.

E Consistorio Episcopali. Tarnoviæ die 17. Februarii 1859.

N. 505.

Legendae ad: Modlitwy za konających Teschinenses proscribuntur.

Inter Diœcesanos hujates versantur exemplaria Libelli sub titulo: Modlitwy za konających a. 1858 in typographia Caroli Prochaska Teschinii divulgati, cujus 3 orationes etsi nil contineant contra fidem catholicam, tamen ultima sat perplexa deprehenditur; verum ambæ legendæ e calamo nefors alicujus Protestantis profluentes non solum commentum nafarium complectuntur, sed et Capiti ecclesiæ Cath. injuriosas, fidei Nostræ, ac confessioni derogatorias, populo fideli periculosas &c. assertiones propinant, e. g. quod Pontifex quidam ob grandia peccata de salute sua desperans ope 3 precum Presbyteri Joannis salvatus migraverit ad cœlites, ac de precum harum efficacia comparens Presbytero post 3 horas inter alia proferat falsissima: „Zaprawdę powiadam ci, anioł Boży stoi przy mnie a trzyma w ręce trzy modlitwy złotemi literami pisane dla pociechy wszystkim grzésznikom i grzésznicom, bo chociaż-

by kto przez całe życie śmiertelnemi gréchami obciążony był, odpuszczone mu będą, jeżeli przed śmiercią te trzy modlitwy odczyta, albo gdyby miał na męki przyjść aż do sądnego dnia, to mu darowane będzie, a kto tylko słucha czytać te modlitwy, ten złą śmiercią nie umrze, a domowi, w którym będą odczytane, nigdy nic złego nie uszkodzi. Przeto weź tę modlitwę a zanieś ją do kościoła świętego Piotra, a postaw w kaplicy Wniebowzięcia Panny Maryi, dla pociechy grzészników. Któryby umrzeć niemógł, przez te modlitwy szczęśliwie skona, nie potrzeba mu się bać wieczności. Ten co je odczyta albo czytać słucha, otrzyma cztérysta lat odpustu, (to jest, gdyby miał cierpieć męki tak długo, to mu darowane będą) i będzie mieć zbawioną godzinę, w którą umrze.“ Eapropter Ven. Clerus hisce ad informandum desuper populum fidelem et ad eliminandum libellum nefarium provocatur.

E sessione 10. Feb. 1859.

Nr. 85.

Residua inelocabilia e Capitalibus Missalibus etiam ab Alto Regimine conformiter fini suo tractabuntur.

Sub N. C. 2623 in Currenda XIV. ex a. 1858 impresso Ven. Clerus informatus fuit, de procedendi in posterum modo intuitu residuorum e Capitalibus, quæ Missis onustæ sunt atq. de gressibus Nostris ad Exc. C. R. Provinc. Regimen Cracov. quatenus ante assignationem ejusmodi residuorum aut Capitalium exiguorum *inelocabilium*, quibus Missæ fundationales inhærebant, Nobiscum conferre dignaretur. His annuendo, sub 29. Dec. 1858 N. 32950 appromisit conferentiam hoc sub respectu semper præviam fovere cum Consistorio hujate; et rursus Ven. Clerus de hisce nunc certior factus obligatur præsentibus ad Nos movere de conversione ejusmodi summarum quæstionem, quodsi assignatio sine Consistorii interventu facta deprehenderetur.

E sessione 13. Januarii a1859.

N. 222.

Benefactores ecclesiae Rupellanae Cracoviae e Decanatu Ropczycensi.

Requisitioni Nostræ de 10. Jan. 1858 N. 1651 obsecundantes, in rem Conventus S. Pauli Eremitæ Cracoviæ ad restaurandam piscinam ibidem S. Stanislai præter libellos susceperunt resp. Presbyteri Decanatus Ropczyc. 10 cant. et 110 lectas et quidem ARR. Curati in *Dębica*, *Lubzina*, *Ocieka* et *Zawada* una cum R. *Cooperatore* per 10 lectas; verum ARR. Parochi in *Brzeźnica*, *Czarna* et *Witkowice* per 20 lectas et insuper Ven. Curatus *Czarnens.* 10 cantatas, quibus ex parte Nostra collaudationem publicam exprimimus, verum e parte Ven. Conventus gratitudinem ac suffragia pro Benefactoribus assecuramus.

Penes hanc occasionem provocandos esse censemus reliquos resp. Decanatus, ut qui nedum *auxilium in Missis* Ecclesiæ memoratæ *attulerint*, cum eo *properare* haud graventur.

E sessione 27. Januarii 1859.

Nr. 490, 569, 690, 763, 839 et 840.

Contestatio receptarum summarum pro Missionibus etc. e 5 Decanatibus etc.

E Decanatu *Bobov. Dąbr. Viel. Makov.* et *Radomyśl.* recepimus lætissimum nuntium

de peracta exemplariter ubique devotione Jubilæi, de effectu uberrimo et zelo pro Missionibus ac miseris, e quibus influxerat summa I. *E Decanatu Bobov.* a) E Bobowa pro Soc. Inf. Jesu 4 $ aur. et 1 fl. M. C. b) Brušnik 10 fl. c) Ciężkowice 6 fl. d) Grybów 37 fl. 38 x. e) Jastrzębia 4 fl. f) Korzenna 4 fl. g) Krużlowa 5 fl. h) Lipnica 2 fl. 50 x. i) Mogilno 6 fl. k) Podole 6 fl. l) Rożnów 6 fl. m) Siedlce 5 fl. 50 x. n) Tropie 3 fl. 12 x. o) Wilczyska 7 fl. 30 x. p) Ptaszkowa 23 fl. 10. x.

II. *E Decanatu Dąbrov.* Summa 140 fl. 40 x, C. M, Missionibus Afric., Americ. et ad sepulchrum Xti Jeros. item Esiæ PP. Dominicanor. Cracov. per 35 fl. 10 x. C. M. item Bolesłaviæ pro decoratione Esiæ propriæ circa 100 Rh. C. M. destinata.

III. *E Decanatu Vielic.* 218 Rh. 40 x. aust. val. jam pro Missionibus memoratis et S. Bonifacii ac Stocholmii, pro Basilica Romæ, pro incolis pagi Nowa wieś ad Zabierzów, Szkałat, Földwár, Bochemiæ, Trojca &c. in Bukowina... ad quam contulerunt: Utraq. ecclesia *Vielic.* 69 fl. 30 x. *Podgórz.* 47 fl. 25 x. *Świątnic.* 17 fl. 27 x. *Niepoł.* 17 fl. 85 x. *Kosocic.* 16 fl. 30 x. *Brzezi.* 10 fl. 50 x. *Niegov.* 10 fl. 80 x. Convent. *Staniąt.* 8 fl. 40 x. *Bodzan..* 8 fl. 40 x. *Bieżan.* 7 fl. 65 x. *Biskupice* 5 fl. 25 x. reliqua per 3 aut 2 fl. ast *Wróblowice* solummodo 52 et *Podstolice* 65 x. austr. val.

IV. *E Decanatu Makov.* 74 fl. 30 x. C. M. nimirum pro Missionibus in Africa, America et Ieros. 58 fl. C. M. pro Szkałat 8 fl. pro Földwàr 3 fl. pro Trojca &c. 5 fl. 30 x. C. M.

V. *Decanatu Radomyśl.* 9 Rh. 20 x. pro Missionibus in Jerusalem et America; item 33 Rh. 47 x. C. M. pro sublevandis Missionibus in Jerus. Africa et America, nec non in rem ecclesiæ SS. Trinit. Cracov. PP. DD. per æquales partes... pro quibus donis gratias agimus ac benedictionem Ven. Operariis et Largitoribus divinam efflagitantes nec non ab Illmo Præsule *Apostolicam* adjungentes spem fovemus fore, ut zelus laude dignorum in obfirmandis Xtifidelium animis haud deficiat, imo augescat in labore novo circa Confessionem paschalem.

E Consistorio Episcopali. Tarnoviæ die 10. Februarii 1859.

Nr. 834.

Statuae, altaria, candelabra e duro materiali procurari possunt.

Institutum artisticum Monachii varias statuas *originales* in *ligno*, *saxo* vel *metallo*, aut *copias* in *massa lapidea*, *candelabra*, *ornamenta*, *altaria &c.* construere et conducenti submittere paratum se declarat in epistola typo impressa huic Currendae in uno exemplari ·/. pro toto Decanatu accluso. Perillustres Decani hocce exemplar, continens simul *Explicationes generales* ac *Prospectum* una cum praesentibus Currendis ad resp. Condecanales pro rei notitia et nefors insinuatione emittent. E sessione 17. Martii 1859.

Ogłoszenie Wizerunków Arcybiskupów Gnieźnieńskich i Prymasów.

Litografia Warszawska Pana Pecque i komp. wydaje Wizerunki Arcybiskupów Gnieźnieńskich i Prymasów, mężów, którzy przewodniczyli na drogach duchownych... celem

szerzenia zasad religijnych i ducha wiary. Całe dzieło zawierać będzie 22 zeszytów, każdy zeszyt 4 portrety z tekstem P. Jul. Bortoszewicza, a cena każdego zeszytu 1 rub. sr.

Pragnący posiadać wzmiankowane dzieło, zechcą się udać do najbliższych księgarń.

Publicatio praenumerationis pro opere: Przyjaciel Chrześciańskiej prawdy.

Provocantes ad Nostram publicationem in Cur. I. ex a. 1854 pag. 5 infra, Venerabili Clero diœcesano iterate publicamus, in Consistorio Episcopali Premyślensi r. c. venale haberi opum theologicum lectu dignissimum, cui titulus: *Przyjaciel Chrześciańskiéj prawdy,* 32 consutis constans, pro pretio 5 fl. M. C.; pretium certe perexiguum. Quodsi e Decanatu quinque exemplaria hujus operis simul prænumerarentur, posset unum exemplar 4 fl. M. C. haberi. Anhelantes opus hoc obtinere immittant obveniens pretium via officii decanalis ad Consistorium hujas, et procurabimus illud. Etiam in Cancellaria Coal. plures reperiuntur tomuli per 10 x. C. M. ad complemendum opus haud integrum comparabiles.

E Consistorio Episcopali. Tarnoviæ die 1. Martii 1859.

Casus liturgici.

1. Plerumq. finita fidelium confessione Sacerdos properat recta via ad Altare, pœnitentes communicandi ergo, quin preces cuncti gratiarum actionis post confessionem et praeparationis ante communionem persolverint.. quaeritur: quid magis fidelium saluti conducit, retardare aliquantulum, an accelerare communionem?

Utique retardatio adæquata suadetur, imo urgetur, ut, quod est maximi momenti, pœnitentes tanti beneficii reconciliationis participes, gratias Patri misericordiarum referant pro eo condignas, nec non iidem ad epulum immortalitatis, ad mensam cælestem, penes quam ipsemet Dominus, Rex cœli et terræ, coram quo *tremunt Potestates,* se cibum præbet viatoribus ad montem cœlestem, accessuri excitent in se actus ad susceptionem tanti Sacramenti dignam exoptatos necessariosve. Pœnitentes pii de necessitate ac utilitate talium precum convicti, conqueruntur contra ejusmodi Presbyteros celeres, qui ipsimet pro gratia functionis divinae in Tribunali immensa, aut pro remissione reatus nefors in discutiendis animis... commissi... nullas fundentes preciunculas, pœnitentes quoque privant occasione gratitudinem et humilitatem exprimendi aliosq. fervidos actus in se eliciendi...

2. Quando unus Presbyter ad Altare diebus Dom. et fest. fungitur, num alter in ecclesia adsit et quid agat oportet?

Ordo devotionis ex A. 1845 §. VI. inculcat haec: „Do porządku nabożeństwa należy, aby lud chcący się spowiadać, zawsze kapłanów w konfessyonałach znalazł; w czasie, kiedy jeden zajęty jest nabożeństwem, drugi i więcéj z nich nie powinni konfessyonałów opuszczać, raczéj za święty obowiązek uważać, by lud w konfessyonałach uprzedzili, nie zaś przeciwnie, aby lud przy konfessyonałach stojący kapłanów w cierpliwości miał oczekiwać,“ et §. IX. 7. „Mający mieć Sumę, podczas homilii (rannéj) być obecnym i onéj słuchać jest obowiązanym.“ Quando desunt ad confessionem, nihilominus in tribunali assideat, recitans Breviarium &c...

Quicunq. Sacerdotum vacant functione, sub devotione populi ante- aut pomeridiana

visitent ecclesiam, ibidemq. cum populo cantent aut persolvant officium div. in ordinatione susceptum. Praeprimis *hebdomade magna...* assistant devotioni ad Altare jam orando, jam Celebrantem juvando, jam Organarium, devotionem, processionemve dirigendo.

3. Ubi unus pluresve Sacerdotes, quid intuitu Catechisationum demandat idem Devotionis ordo?

§. IX. 13. ita praescribit: „W niedzielę i święto... po południu nauka katechizmowa sumiennie i z największą gorliwością ma się udzielać... po której katechizujący dokładne zastosowanie uczyni i do dorosłych krótko i dobitnie przemówić powinien;" et rursus §. IX. 19. „Gdzie więcéj księży, tychże jest najściślejszym i najsumienniejszym obowiązkiem, by pozostawszy jeden z nich dla odprawienia popołudniowego nabożeństwa, inni w każdą niedzielę i święto popołudniu parafian po miejscach odległych odwiedzali i tymże za porozumieniem się z zwierzchnością miejscową w obszernéj jakowéj izbie zebranym zwyczajną i *nader potrzebną* naukę katechizmową, na którą nie tylko dzieci, ale i dorośli, jako téż i starzy pilnie zgromadzać się mają... udzielali. Ksiądz przybywszy w oznaczonym i poprzednio zapowiedzianym czasie i miejscu, w kapłanskiéj sukni, ma się ubrać w komżę i stułę, poklęknąwszy i przeżegnawszy się odśpiewać z ludem pieśń do Ducha ś. podobnież po nauce... Po tém odmówi z przytomnymi modlitwy wieczorne z książki dla użytku parafialnych kościołów,*) zaśpiewa *Anioł Pański* i po stósowném napomnieniu pokropi święconą wodą." Et §. X. 39. ita ordinat: „Chociażby tylko jeden ksiądz się znajdował, tego obowiązkiem będzie, szczególniéj w dniach dłuższych parafian swoich w odleglejszych miejscach mieszkających w celu udzielania im nauki katechizmowéj odwiedzać."

His in memoriam revocatis spe erigimur fore, ut cuncti ad sortem Domini vocati, diebus, qui Domino et Sanctis dicati sunt, labore suo indefesso, devotioneq. exemplari ducant trahantq. populum ad Dominum atq. Sanctos Ejus. Praeprimis nunc edoceant modum confessionem rite peragendi, formulas ad hoc necessarias, ne Confessarius continuo quaestionibus molestetur, quando poenitens ultimo confessus, an nil reticuerit, poenitentiam absolverit, quibus Deum offenderit, num de peccatis poeniteat, firmum praepositum habeat &c. &c. sed ipsemet poenitens cuncta haec Confessario proferat. Continuas ejusmodi quaestiones Confessariis penes majorem populi concursum exhaurire vires ac negotium salutis retardare nimis, quis Confessariorum ignorat?! Fors dimidia pœnitentium pars citius, a Confessionali absoluta dimitteretur, si gauderent dexteritate confessionem rite persolvendi.

N. 717 et 786. Piis ad aram suffragiis commendantur: Anima p. m. Helenae Gertrudis de Lipińska Sctimonial. Staniąt. 16, nec non A. R. Joannis Śmiałek Curati in Wojakowa, sodalis 26. Feb. a. c. demortuorum, pro quo Consodales superviventes praeterea 1 Missae sacrificium litare tenentur.

*) Si libello hoc careret, alium etiam adhibere conceditur; etiam cantilenam vespertinam: **Wszystkie nasze dzienne sprawy** &c. intonet &c. Litaniam tempori congruam &c.

Josephus Alojsius,

Episcopus Tarnoviensis.

E Consistorio Episcopali,

Tarnoviae, die 24. Mart. 1859.

PAULUS PIKULSKI, Cancellarius.

Typis Anastasii Rusinowski Tarnoviæ.